

AVSA
ILLVSTRISS.
PRINCIPIS DOMINI
CAROLI SVDERMAN-
NIAE &c. DV CIS.

Aduersus

Serenissimum ac potentissimum Do-
minum D. SIGISMVNDVM III. Re-
gem Sueciae ac Poloniae &c.
suscepta.

*Accessit refutatio apologiae D. Caroli
certis & evidentib. rationib.
suffulta.*

Scripta & publicata ex mandato
S. R. Maestatis proprio.

D ANTISCI,
In officina typographica Iacobi Rhodi.
M. D. XCVIII.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Ajus lector, sanctiusq; in re-
bus humanis Majestate regiã
nihil est; quæ honoris est filia
Poëtis; vt quid reuereri, quid
suspicere, quid colere fide &
obsequio diligentissimè post Deum homi-
nes debeant, haud sit aliud reliquum. Nam
Salus publica: lex in omni imperio supre-
ma: in eã sic continetur, vt si Majestas impe-
rij salua, salus vigeat omnium: si auctõritas
magistratus seruetur integra, tràquillus flo-
reat rerum status omniũ, quare factũ est, vt
seuerissimis pœnis omnes leges omniaq;
omnium gentium jura persecuãtur eos, qui
amplitudinem imperij violare, qui uè auctõ-
ritatem magistratus attrectare, sibiq; vsur-
pare præsumunt, quippe duo illa Reipub.

A V S A

ILLVSTRISSIMI PRINCI-
PIS D. CAROLI SVDERMANNIÆ
Ducis &c. breui ac verâ narratione
explicata,

CVM Sereniss. ac potentiss. Dñs. Do-
minus SIGISMVNDVS III. Sueciæ & Po-
loniæ Rex &c. vtriusq; regni diadema, polonicum qui-
dem electione, Sueticum verò legitimâ successione, vna-
nimi procerum omniumq; ordinum consensu, sumpsisset;
& è Sueciâ rebus Christianitatis publiciq; commodi ita
exigentibus, in Poloniam discessisset: Senatoribus regni
Sueciæ, inter quos primum locum D. Carolus, vtpotè eius
regni hereditarius princeps, obtineret, regnum commen-
davit, usq; certam gubernationis formam præscripsit; se-
cundùm quam, saluo jure maiestatis regiæ, rebus publicis
consulerent, atq; satis plena ac sufficiens parère volenti-
bus, illa gubernationis forma fuit, præsertim cum sui fun-
damento, jure Suetico, niteretur; quod ipsum per se nullo
etiam adhibito adminiculo, plenam Reipub: gubernandæ,
& S. R. Maiestatis venerandæ, rationem continet, vt
aliâ & pleniori opus esse non videretur.

Hac ipsâ verò gubernationis formâ, quam ex jure
Suetico, suæ auctoritatis firmandæ causâ, Rex Sereniss.
proposuit, imprimis vetitum est, ne D. Carolus comitia
ageret,

ageret, nouasq; leges & constitutiones conderet: tantum
abest, ut alta in uestitis regie iura sibi usurpare liceret,
quemadmodum ex tenore ipsius formulæ manifestius co-
gnoscutur, sub lit. A.

Quamquam verò, pro fide hominū S. R. M. præstiti,
& pro laude obedientiæ: quæ mater salutis & felicitatis
humani rectè appellatur: conueniens fuisset, hanc for-
mulam gubernationis D. Carolum strictè obseruasse, nec
latum unguem ab eâ discessisse: tamen consiliatio ipseq;
adeò euentus docet, quàm parùm vel nihil ad eam animo
aduerterit; maiora interim nouasq; res molitus.

Siquidem statim atq; rex è regio Sueciæ discesserat;
Sockholmiam se contulit, & quid animo occultum gere-
ret, linguâ aliud promptum habens, non obscure ostendit:
Præscriptam à rege formulam gubernationis ratam fir-
mam habere noluit, sed senatores regni, iniecto ijs metu,
per multas variasq; minas eò pertraxit; ut aliam secum
gubernationis formam componerent, & sibi titulum gu-
bernatoris tribuerent.

Et tandem, post multas longasq; ac varias discepta-
tiones, sui voti compos D. Carolus factus est, & titu-
lum gubernatoris, cum illa tamen expressa clausula: si ita
S. R. M. se velle iubereq; declarasset: obtinuit, ut in-
strumentum conventionis vtriusq; patris id latius demon-
strat, sub lit. B. C.

Inter cetera autem istius conventionis capita D. Ca-
rolus se obligauit quidem, quòd omnia regni negotia &

B

consulta

A.

B. C.

nullis verborum inuolucris sic obumbrari obtegiq̄, possit,
quin eius vis se tandem exserat, quid est D. Caroli excu-
cusatio seu apologia aliud quàm tacita, quædam sui in-
cusatio? præsertim cùm illæ, quibus se purgat, rationes
nihil solidi, nihilq̄ in se momenti contineant.

E diuerso autem; dum rex sereniss. suæ maiestatis
regniq̄ Sueciæ incolunitatem & salutem, patriæ ac subdi-
torum defendit ac conseruat, conscientia bonestorum con-
siliorum optimarumq̄ actionum fretus, quod in nullo ar-
ticulo, quem iureiurando sanciuit & recepit, fidem sese fe-
lerit; calumniosa illa: baud decens fidelem regni princi-
pem: quam instituit D. Carolus traductio, solidis
rerum argumentis refutata & illisa in-
uenietur; idq̄ ordine perspexisse
operæ pretium est.



REFVTA-

SEQVNTVR^{72.}R

COPIÆ LITERARVM IN-
TER SACRAM REGIAM MAIE-
statem, & Ducem Carolum, mutuò missarum,
aliarumq; scripturarum, quæ in superiori
narratione ordine citantur.

Ordo Regiminis à Sacrà Regiâ Maiestate *A.*
in Sueciâ relictus.

NOs Sigismundus Dei gratia Suecorum, Gotho-
rum, VVandalorumq; Rex, magnus Princeps
Finlandiæ, Careliæ, Votschouiæ, & Ingriæ
Ruthenorum, Estoniæq; Liouonum Dux, &c. Nec
non Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuania, Rus-
siæ, Prussia, Masouia, Samogitiæ, Kiouia, Vol-
hinnia, Liouoniaq; Dominus. Notum facimus,
quod cum rerum circumstantiis ita exigentibus,
tùm ob fidem Polonis datam, de nostro ad illos re-
ditu, tùm etiam alijs vrgentibus de causis, consenti-
entibus Illustrissimo Principe Carolo, Regni Sue-
ciæ Principe hæreditario, Sudermannia, Nericia,
Vermelandiæq; &c. Duce, Patruo nostro Charissi-
mo, & Senatoribus, aliorumq; Regni ordinum libe-
ro assensu, in Poloniam regredi decreuerimus, eo ta-
men proposito & intentione, vt rebus ita exigenti-
bus, & si Deus sanitatē largitus fuerit: velle nos Re-
gnum nostrum hæreditarium aliquando repetere.
Ne igitur Regnum hoc cuius singularem curam ge-
rere